

SCALIGER (Giulio Cesare)

URBES (850 vers)

AD DIVAM CONSTANTIAM RANGONAM ¹

ROMA

U_1 v.1 Vos septem gemini caelestia pignora montes,
 2 vosque triumphali moenia flucta manu,
 3 testor, adeste, audite sacri commercia cantus :
 4 et Latios animos in mea vota date.
 5 Vobis, dicturus meritis illustribus urbes,
 6 has ego primitias, primaque sacra fero.
 7 Quin te unam laudans, omnes comprehenderit orbem,
 8 non urbem, qui te noverit, ille canet.

VERONA

U_2 v.1 Italiae canimus semperflorentis ocellum :
 2 Calliope nequeat grandius ulla loqui.
 3 Aucta Deis, auctura poli Verona Quirites ;
 4 quot cives, tot habens sidera digna Jove.
 5 Non animi, non ingenii vigor acrior usquam.
 6 Nulla creat plures Martia terra duces.
 7 Transferre in caelum voluit sibi Juppiter. Atqui
 8 clarior in nostris maluit esse locis.

LUTETIA

U_3 v.1 Francigenae princeps populosa Lutetia gentis
 2 exserit immensum clara sub atra caput.
 3 Hic civis numerum, ars pretium, sapientia finem
 4 exsuperant : superant thura, precesque Deos.
 5 Audiit, obstupuitque hospes : factusque viator
 6 vidit : et haud oculis credidit ipse suis.

BYZANTIUM

U_4 v.1 Europae imposita haec, Asiaeque objecta potenti :
 2 limes utrique olim, nunc utriusque caput.
 3 Translato imperio, pariter Fortuna recessit :
 4 crevit et auspiciis maxima facta novis.
 5 Auxit, qui rapuit : sed nunc cervicibus orbis
 6 imminet. Ipsa etiam Roma superba tremit.
 7 Non vetus illa : novo meretrix sed perdita luxu :
 8 quae nullum crimen, nolle pudere, putat.
 9 Surge ferox, quate, caede : tua est victoria. Tantum
 10 misce armis leges. Accipe, dasque jugum.

VENETIAE

U_5 v.1 Pervia barbaricis tellus Oenotria turmis
 2 pertulit impositi pondera dira jugi.
 3 Ipsa suos flevit populares Roma Quirites ;
 4 sensit et indomitae noxia tela manus.
 5 Haud tulit hoc genius : cujus fatalibus ausis
 6 tutior in medio Roma renata mari est.
 7 Clara virum virtus animo, insatiata cupido
 8 imperiis : vastae non numerantur opes.
 9 Juppiter, haud temere tua sunt ita dissita caeli
 10 moenia. Si possunt tangere : parte cares.

MEDIOLANUM

U_6 v.1 Compositos populos, validique exordia regni
 2 excepit facili terra beata sinu.
 3 Creverat Ausonio commistus sanguine Gallus :
 4 et dabat antiquo fortia jura Pado.
 5 Tertia se adjunxit tantis Germania rebus :
 6 et stetit audaci fama parata manu.
 7 Quaevis simplicibus jactet se gloria signis,
 8 cum triplex uni contigit aucta mihi.

PATAVIUM

U_7 v.1 Huc antiqua Deum domus Ilium, et inclyta bello
 2 robora, Dardanos exposuere Lares.
 3 Decepti patrias, non victi, amisimus oras.
 4 Perpetuis res est Graeca valere dolis.
 5 Qui vicere, suos ideo amisere penates ;
 6 at nova sunt profugis regna parata viris.
 7 Arma decent Teucros, vafros sapientia Graios :
 8 victis Euganeis pectus utrumque dedi.
 9 Regna vides Veneto Phrygiis majora ruinis ;
 10 Atticaque a Patavo pectore terra sapit.

GENUA

U_8 v.1 Ditis opes Asiae, et claros Orientis honores,
 2 quantaque ab Euxino tunditur ora salo,
 3 Pisanas acies, Tuscae decora inclyta pubis,
 4 et traxi ad Ligures Gallica signa manus.
 5 Subjectis domitas tenui cervicibus Alpes,
 6 et tremuit nostras Africa dura trabes.
 7 Afflictus toties Venetus quae fugerat olim,
 8 in patriis metuit tela petitus aquis.
 9 Frustra Galle cupis : frustra es frustrator Hibere,
 10 frustra saeva ferox Insuber arma capis.
 11 Vinco ego, cum vincor. Par est victoria damno :
 12 sumque eadem domina, servaque facta mea.

FERRARIA

U_9 v.1 Inclyta quae patulo fruitur Ferraria caelo
 2 reginas rerum lumine ditat aquas.
 3 Aurea nobilitas : studiorum nobilis otii
 4 ingenia : audaci pectore prompta manus :
 5 magnanisque duces, genus alto a sanguine divum :
 6 perfugium profugis moenia sancta viris.
 7 Vos me luctificae redeuntem e stragis acervis,
 8 quos vetus ex ima sede Ravenna gemit,
 9 Germano in pugna amisso, fortique parente :
 10 quo matri victae vita dolore fugit,
 11 ornatum elogiis, decoratum nomine regum,
 12 auctum Felsinea restituistis ope.
 13 Salvete heroes, et quae sanctissima tellus,
 14 fratrisque ac matris, et patris ossa tegis.

INCULISMA

U_10 v.1 Armipotens rerum praeses Valesia tellus
 2 addidit antiquis jam nova jura focus,
 3 cum dedit invictos terrarum lumina reges,
 4 quo levius gaudens pondere pressa volat.
 5 Quam te igitur memorem ? Neque enim terra esse fatebor,
 6 sed caelum : quae sic fundis, habesque Deos.

TUNETUM

U_11 v.1 Invide demolire altas Carthaginis arces ;
 2 quem fors aequalis, parque futura manet.
 3 En te invito iterum florens, excisa renascor.
 4 Te non vinco ego : nec me tamen ipsa premis.

BRUNDUSIUM

U_12 v.1 Ut populos ad se ipsa vocet, procurrit in altum,
 2 et secat aequoras Ausonis ora vias.
 3 Hinc Solis prospectat equos orientis anhelos ;
 4 hinc petit indigenis Africa terra notis.
 5 Illyricas ostentat opes, animosque superbos,
 6 horrificis Boreas qua furit altus equis.
 7 Quo molles natura sinus dedit alma vocanti,
 8 hospes ut optata sic poteretur humo.
 9 At non Brundisium praecinctum praepete portu
 10 aequat inoffensis ulla carina vadis.
 11 Jam liceat reliquis peregrinam condere puppes :
 12 Italiae at statio vera sit una suae.

BRIXIA

U_13 v.1 Quae pingues scatebras specula despectat ab alta
 2 postulat imperiis Brixia magna vices.
 3 Caelum hilarum frons laeta urbi, gens nescia fraudis,
 4 atque modum ignorat divitis uber agri.
 5 Si regeret patrias animis concordibus oras,
 6 tunc poterat dominis ipsa jubere suis.

AQUILEIA

U_14 v.1 Diva, parens terrae, fortes quae prospicit Histros,
 2 nobilis Italiae janua prima tuae ;
 3 barbarici misera incursus objecta furori,
 4 tristis inhumana facta ruina manu es.
 5 Inclyta pro Hesperiiis sed cum cadis hostia terris,
 6 non poteris melius, vivere tota volens.

RHODOS

U_15 v.1 Clara Rhodos, sed clara olim : nunc horrida nimbis
 2 obnubit nitidum dira procella caput.
 3 Ah dolor, ah mors, ah siquid morte atque dolore
 4 durius, aut etiam tetrius esse potest.
 5 Stertitis ? Et ferus armenti lupo optima carpit ?
 6 O jam sit jam aliquis velle perire pudor.

RAGUSIA

U_16 v.1 Quam fera, quamque inculta vides haec saxa viator,
 2 tum sunt ingeniis pectora culta meis.

3 Munia multa senum complet cordata juvenus,
 4 et viridis juvenum multa senecta gerit.
 5 Quod tetricae rupi natura noverca negavit,
 6 hoc eadem natum mater habere dedit.
 7 Civem alibi divina suae prudentia terrae
 8 exhibuit : terram hic civibus illa suis.

VOLSINIUM

U_17 v.1 Etrusci imperiis priscum caput, aurea sedes,
 2 magna una atque eadem perdita mole ruit.
 3 Fecit opes Virtus, opulentam evexit ad astra ;
 4 ast opibus tumidus luxus ad ima ruit.
 5 Obfuit alta quies, servosque objecit inertii.
 6 Enervant rigidas otia lenta manus.
 7 Quos amat, his justo condit Deus acta labore.
 8 Sic mala dura juvant : sic bona blanda nocent.

ROTOMAGUS

V_18 v.1 Tranquille species, et imago plurima vitae
 2 sola, aut cum paucis Neustria dives eris.
 3 Illecebrae omne genus fundit tibi blanda Voluptas,
 4 quae desunt, orbis nec sibi totus habet.
 5 Gens numerosa, ferox, Arctoi limina mundi
 6 mutavit terris uberius agri.
 7 Expulit affines belli discrimine Francos :
 8 cessit et invictis terra Britanna viris.
 9 Ignoti Oceani domina es : neque Gallia magnum
 10 te sine, Reginae nomen habere potest.

ALTINUM VENETIAS ALLOQUITUR

V_19 v.1 Quanta fui, cujus modico vestigia tractu
 2 obruit insani foeda ruina maris,
 3 sedibus egregiae doceant illustribus urbes.
 4 Oppidaque elapsa condita multa manu.
 5 Aspice, quo fastu tumeat Taurisia pubes :
 6 una mei germen stipitis illa fuit.
 7 Muranum incolumi caelo, atque insontibus auris ;
 8 et quod Majori, nomen ab orbe tulit.
 9 Quaeque etiam caeli dicta est de nomine Turris :
 10 cuncta haec interitus sunt monumenta mei.
 11 Tu quoque mirifici complens miracula mundi,
 12 te regina vagi te voco magna soli.
 13 Disce frui virtute tua, et felicibus orsis
 14 pars mea : nam totum quam sit inane, vides.

TROJA

U_20 v.1 Bis vetus eversum est Argivis Ilion armis ;
 2 bis nova victores Graecia luget avos :
 3 maxima Trojanos retulit cum Roma nepotes ;
 4 atque iterum, imperium cum modo Turcus habet.

LIPSIA

U_21 v.1 Lipsia, se ostentans sublimibus aurea tectis,
 2 lumina dum saturat, mens perit icta fame.
 3 Vecta quibus ratibus longinquaе marmora terrae ?
 4 Unde frequens flavi pura nitela Tagi ?
 5 Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabas, huc Serica dices
 6 sedibus evulsa huc Indica regna suis.
 7 Cum gemma bibitur, vincuntur nectare gemmae :
 8 sed linguae varius vincit utrumque nitor.
 9 Ne Germana tamen vitiatu'r Lipsia luxu :
 10 at hunc Germanum Lipsia magna facit.

CYMACLUM

U_22 v.1 Caerula piscosi quae complent stagna Cymacli
 2 nais ab Adriacis aestibus auget aquas.
 3 Squamiger Eois labens exercitus undis
 4 ludit, et in refluis agmina justa vadis.
 5 Turgeat, et laxis Neptunus gaudeat oris
 6 tuta mihi angusto, certaue praeda gerit.

AVINIO

U_23 v.1 Vivendi ratio cum libertate recepta
 2 efficiunt, ut sis altera Roma tibi.
 3 Templam, forum, celso subducta palatia caelo :
 4 magna haec. Te, plus est, dicere posse tuum.

TAURINUM

U_24 v.1 Excipiens gelidas patriis ex Alpibus auras
 2 Hesperii princeps jus capit una soli.
 3 Terra ferax, gens laeta, hilaris addicta choreis :
 4 nil curans quicquid crastina luna vehat.
 5 Ingenium natura aptum, sed more solutum :
 6 plus animo capiens, quam dare possit ope.
 7 Felix Marte novo, felix melioribus armis.
 8 Namque recens acuet pectora lenta metus.

MASSILIA

U_25 v.1 Inclyta Romanis aequata paladia rebus,
 2 tam modicis miserum est delituisse casis.
 3 Ah ubi compositi mores, sapiensque Senatus ?
 4 Obruta sic veteri mens sine mente jaces.
 5 In tenui victu tenuis quoque gloria. Sordes
 6 plus quam Graecae : humile est, et sine more genus.
 7 Divinas petiere tuas gens extera leges :
 8 hoc verum dare sit, nec retinere sibi.

PISAE

U_26 v.1 Pisa vetus, victi spoliis Orientis onusta,
 2 invidiae armavi livida tela trucis.
 3 Sic nocuit vicisse ; aliis sic vicimus ergo.
 4 Sic res est humili tutior arcta loco.
 5 Mortales, sperate vices, nec credite Fatis.
 6 Nam quod nos aliis, illa dedere mihi.

AURELIA

U_27 v.1 Non potuit magni caput esse Aurelia regni.
 2 Ergo quod reliquum est, corque animusque fuit.
 3 Dat Bellone manum, facundam curia linguam.
 4 Ars potuit nullis ulla latere modis.
 5 Tam come ingenium, tanta est prudentia rerum :
 6 haec quod non novit, Gallia muta silet.
 7 Ipse pater choreas agitans in vertice Nysae
 8 olim, aut hinc, aut huc munera laeta tulit.
 9 Nil humile, aut vulgare sonat : magna omnia. Magni
 10 quin animum vulgus principis ipse gerit.
 11 Quae tibi non cessit, toti non ceserit orbi.
 12 Cedere nec debes tu nisi sola tibi.

RAVENNA

U_28 v.1 Prima per Aemathias quondam vetus edita silvas
 2 Adriacum secuit Thessala prora sinum :
 3 desertumque solum, tristisque informe palude
 4 muniit ; atque urbis nomen habere dedit.
 5 Haec belli sedes, gelido cum miles ab axe
 6 proruit, et Graios expulit inde duces.
 7 Hinc sedet Illyrici prospectans proelia Nerei :
 8 Ionius reduci cum tum et aestus aqua.
 9 Hinc oculus superique maris, terraeque jacentis
 10 excubat : hinc duris utraque meta viris.
 11 Si jungas solidae liquentia marmora terrae,
 12 in medio tamquam cor, metuenda jacet.

LONDINUM

U_29 v.1 Urbs animis, numeroque potens, et robore gentis,
 2 vel cunctos prae se despicit una deos.
 3 Torva peregrinis, sed non et inhospita, merces
 4 vicinis patrias aggerit, atque petit.
 5 Contemnis, cui das, tamquam isto munere major.
 6 Odisti unde petis : ne videare minor.
 7 Dicat, quid bello valeas, Aquitania. Quid non ;
 8 et Nortman, et cum Saxone Roma vetus.

BONONIA

U_30 v.1 Post diras rerum clades, Fatigue superba
 2 imperia, et Martis quae fera jussa tuli,
 3 hic primum meque, atque alio cognoscere coepi :
 4 deposuique animi barbara sceptrum mali.
 5 Et didici, quam non fueram, quam deinde futurus ;
 6 quem bona abortivum sic tuerere parens.
 7 Quae causas, quae cunctarum primordia rerum,
 8 quae divini operis prima elementa doces.
 9 Caelestesque plagas, et sanctae commoda vitae,
 10 et siqua e numeris nata figura latet.
 11 Cum reliquas superes divinis legibus urbes :
 12 non sulci omnigeno germine cedit honos.
 13 Arma viris connata : animus conterminus astris :
 14 atque ardens vitae stat melioris amor.
 15 Si cives dederas, si magna Etruria leges,
 16 accipe, quae possis dicere : reddo libens.

MEMPHIS

U_31 v.1 Pene etiam ad nigram Memphis porrecta Syenen,
 2 pene etiam Nilo longior ipsa meo,
 3 inveni tamen extremo sub margine finem :
 4 sic sperare animo, et te decet esse tuo.
 5 Africa cur posita est vobis pars tertia mundi ?
 6 Tertia quando orbis pars ego sola forem.

LUCA

U_32 v.1 Tusci delictum, Tusci laus incluta caeli,
 2 justitiae illaeso robore luca potens,
 3 luca potens opibus, felix concordibus armis,
 4 cui veneranda fides, mens pia, pura manus,
 5 caelestis vegetum comitatur candor acumen,
 6 ad veteres referens candor acumen avos.
 7 Iratis igitur dum fervit Etruria fatis :
 8 virtutis merito libera sola fuit.

ADRIA

U_33 v.1 Olim ingens decus Hesperiae, lux, addita terrae,
 2 Eridani cujus proluit unda pedes,
 3 nunc vix nomen habet, letoque informe cadaver,
 4 est famulis sordens Adria putret aquis.
 5 Translatum est alio imperium, titulique vetusti
 6 ecce novos ditat prisca ruina Lares.
 7 Dira tamen frustra faciat Fortuna superbos.
 8 Discite quam valeant sceptrata manere diu.
 9 Nunc agitur melius mea res : segura timoris
 10 cum vigeo, fortis lege soluta meae.

BEROIC

U_34 v.1 Sicui simplicitas, et priscae saecula vitae,
 2 sors sine dissidiis, mens sine fraude placet :
 3 ne Scotiae dextras, hirsutaque pectora spernat.
 4 Haud bene junguntur luxus, et arma simul.
 5 Nimbiferosque Joves, et iniquas vicimus auras ;
 6 corporaque horrendis sunt potiora malis.
 7 Jacta Aegypte solum. Potius sit sortis iniquae :
 8 sollicita vitae ducere ab arte dies.

MANTUA

U_35 v.1 Maxima cum veteri turgeret Etruria regno,
 2 sceptraque terrarum jungeret aucta mari.
 3 Mole nova tumuit, soliisque excrevit avitis.
 4 Ut premeret forti jura aliena pede.
 5 Inde est in superas deducta Colonia terras :
 6 non tamen his potuit Mantua tota dari.
 7 Clara viris, felix ducibus, divo inclyta cycno,
 8 quem vitreis aluit Mincias Andis aquis.
 9 Mantua dives avis, magno non cesserit orbi.
 10 Tota tamen parte hac vincitur ipsa sui.

LUGDUNUM

U_36 v.1 Fulmineis Rodanus qua se fugat incitus undis :
 2 quaque pigro dubitat flumine mitis Arar,
 3 Lugdunum jacet, antiquo novus orbis in orbe ;
 4 Lugdunumve vetus orbis in orbe novo.
 5 Quod nolis, alibi quaeras : hic quaere, quod optas.
 6 Aut hic, aut nusquam vincere vota potes.

NICAEA

U_37 v.1 Se negat Italiae sobolem Nicaea parentis.
2 Si non esse volunt, nec meruere capi.

ANCON

U_38 v.1 Devictrix pelagi tutis anfractibus Ancon
2 ostendat placidi commoda rara sinus.
3 Nimirum Dea, quae voluit capere urbis honores :
4 lenia sic voluit reddere scepra maris.

CANDIA

U_39 v.1 Centum olim cinctas operosis moenibus urbes
2 reddidit ad paucas imperiosa dies.
3 Oppida parva tamen reor illa fuisse ; sed aucta,
4 quod deest es reliquis, Candia sola refert.
5 Vera equidem fateor Jovis incunabula magni.
6 Nam liquor haud alibi nectaris ille venit.

FLORENTIA

U_40 v.1 Parva fluentisonis aggesta Fluentia ripis
2 mollia de nitido nomina Flore capit.
3 Faesula regnabat : verum meliora sequutus
4 Martius antiquas detulit amnis opes.
5 Divitias Hera : Mercurius discrimina linguae
6 Mercurius varias ire, redire vias ;
7 ambitiosa ferox, bellacia, flammea, Mavors
8 pectora ; magnificam docta Minerva manum ;
9 Juppiter ostendit caelestes mentibus aulas ;
10 Sirenum tribuit dulcis Apollo sonum.
11 Vera vetus Romae soboles, aliena requiris :
12 mutua quae proprias vertis ad arma manus.

BUDA

U_41 v.1 Threiciis jaculis , saevisque objecta Sarissis,
2 virtutis Scythicae lima vetusta fuit.
3 Nunc misera, et misere extremis exterrita fatis,
4 olim ab se victis sordida praeda jacet.
5 Discite quid faciat discordia pectora, Reges.
6 Semper sic odiis dissita regna ruunt.

NEAPOLIS

U_4 v.1 Parhenope varii statuit discrimina mundi,
 2 quae tria diverso tempore saecla dedit.
 3 Aurea Pythagoras communis commoda vitae,
 4 et docuit Sophiae Graecia magna procos.
 5 Altera succedens studiorum mollior aetas
 6 admisit Musas debiliore sono.
 7 Tertia vulnifici quaesivit praemia ferri,
 8 atque equitum potuit sola tenere decus.
 9 Sic ex privata, et serva, regina supersum.
 10 Roma, quod es, fueram : quae modo sum, quod eras.

CALICUT

U_43 v.1 Non satis hoc fuerit : noto quod perdita Nereo
 2 haerebat dubiis tunsae carina vadis ?
 3 Protinus audaces incognita litora puppes,
 4 instituuntque novas mortis adire vias.
 5 Sontis tanta sitis sese tibi colligit auri :
 6 fatali ut citius morte perire juvet ?
 7 Hic dices animi magni te nomine dignum ?
 8 At non est, animum perdere, idemque frui.

CAPUA

U_44 v.1 Flammea si valeat superare superbia fastum,
 2 pinguem luxuriam deliciosus amor ;
 3 hoc mollem pinges Capuam, Capuaeque colonos ;
 4 et quae aliis visa est, nec sibi meta fuit.

BURDEGALA

U_45 v.1 Oceani timidae furioso percita Cauro
 2 expugnat rapidis fluctibus ira trabes ;
 3 persequiturque ferox fugientem ad littora puppim,
 4 quae tumidus refluo fronte Garumna premit.
 5 Verum ubi compositum populum, sanctumque Senatum
 6 cernit, adorato litore fracta jacet.
 7 Qualem hospes dicas populum, qualemque Senatum ?
 8 Queis etiam visis aequora muta silent.

SENA

U_46 v.1 Cum premere invictis vicinas viribus Urbes
 2 Martius imperii sollicitaret amor,
 3 abstinui : justam colui sub pace quietem ;
 4 summaque indicii maxima, nolle, fuit.
 5 Quot nam oblita sui, quae regna aliena petebant ?

6 Ut mea sim : pro me sit potuisse satis.

ANTVERPIA

U_47 v.1 Oppida quot spectant oculo me torva sinistro,
 2 tot nos invidiae pallida tela petunt.
 3 Lugdunum omnigenum est ; operosa Lutetia ; Roma
 4 ingens ; res Venetum vasta ; Tolosa potens.
 5 Omnimodae merces ; artes priscaeque novaeque,
 6 quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.

BABYLON

U_48 v.1 Heu nusquam aspicio rerum miracula turre.
 2 Mortali pereunt omnia facta manu.
 3 Cui momenta poli, et tempus dominatur inane :
 4 nec rem, nec numerum reddere posse reor.
 5 Ah miseram ! quae sic poteris periisse. Nec esse,
 6 nec tunc, cum poteris esse, fuisse puto.

TRIDENTUM

U_49 v.1 Nobilis Italico quae prima urbs imminet orbi,
 2 Ausoniis miscet Norica verba sonis.
 3 Romanum ingenium est, animus Germanus, acerba
 4 ultio, si obducta est nube serena fides.
 5 Accipere a Veneto, cujus pars, milite leges
 6 haec potuit : si non, et valet ipsa dare.

HEIDELBERG

U_50 v.1 Nobilis imperio Franconia dextra potenti
 2 belligero nulli Marte secunda viget.
 3 Cum victis ab se pepulit vectigal Alanis,
 4 libera Germano nomine Franca fuit.
 5 Nec contenta suis angustis finibus (illi
 6 quae par virtuti terra futura foret ?)
 7 egreditur : superat. Germani o pectus honoris.
 8 Victoris victos nomina ferre sat est.
 9 Non aliunde venis : Francusve est Hectoris ullus.
 10 Quid petis a victo stemmata ? Tota tua es.

GAIACIA

U_51 v.1 Quattuor ancipitis celebrantur saecula mundi ;
 2 haec : aurum, argentum, aes, ferrea quarta fuit.

3 Quattuor excessere simul : nam linea quinta est.
4 Namque vides ligno saecula renata meo.

TURONIUM

U_52 v.1 Splendidior nusquam Gallis opulentia regnis !
2 Et nusquam nostro major in orbe nitor.
3 Non aestus nocuit pecori, non frigora pomis.
4 Nec jam hortis certet Graecia foeta suis :
5 nunc etiam Phrygiaeque nurus, artesque Latinae,
6 atque petunt radios Serica regna meos.
7 Aut ergo hic etiam Elisii sunt munera caeli :
8 aut nullum vidit Graecia vana suum.

TICINUM

U_53 v.1 Qua citus Eridani ditat Ticinus arenas,
2 gratus honoratas hospitis hospes aquas ;
3 lux studiorum ingens ; regum pulcherrima sedes
4 signat inexhausti jugera plena soli.
5 Devicta Italia, reliquis voluere relictis
6 magnanimi hac potius parte sedere Duces.
7 Pace tua, Hesperia alma parens, haec dixero : quanta es ?
8 Quantave sum ? Totum es : pars tamen una placet.

NUGAMEN

U_54 v.1 Nomina non ponam : tua nomina ponere nil est.
2 Nam qui nil es : sunt nomina nulla tua.
3 Livor edax fenus, fraudes, discordia, lites ;
4 barbaricis mendax perdita lingua probris.
5 Natio mendax, mendax natio, natio mendax :
6 quo terrae et caelo taetrius esse nequit.
7 Segnis, iners, spurca sub paupertate superba ;
8 sordenti fatuus luxus avaritia.
9 Templam vorans attentam superstitione, sed extra
10 pupille, et vidua, et tu peregrine cave.
11 Triste pecus, pigri ventres, mens subdola. Victa
12 fracta es : victricem non ferat ipse Deus.
13 Jactabunda ; sed in hoc est jactatio ; talus,
14 insidiae, dirae, jurgia damna, neces.
15 Perfidiosa, exlex, fera, cervicosa, maligna ;
16 cum vino, et vini turbine caeca Venus.
17 Venalis pudor ; attestis, se vendere, ludus ;
18 qui nequam faciat, laude superbus aget.
19 Furtis ingenium deest, deest vis justa rapinis ;
20 sacrilegam tamen hoc ditat utrumque manum.
21 De magna dictum est olim Carthagine, quod te
22 de minima. De te velle silere, pium est.

SEGUSIA

U_55 v.1 Nequicquam indomito vallata Segusia muro
 2 Ausoniis aditum dat tibi Galle bonis.
 3 Gens infida, ferox, animoque armata bilingui :
 4 juratis umquam vix stetit illa Deis.
 5 Sordida mens, lucrique frequens intenta venenis,
 6 Italici retinens nil, nisi jura, loci.
 7 Persimilis, pejorque suis, scelere obruta, saxis.
 8 Non sunt Pontificis noxia saxa nece.

VIENNA

U_56 v.1 Aspice barbaricis quae propugnacula bellis ;
 2 quae stet fulmineis machina torva pilis ;
 3 adversus spurium, quae fortia pectora, Turcanum
 4 apparet intrepida Norica dextra fide.
 5 Illa igitur validis assultibus irrita fudit
 6 proelia, quae capto fecerat hostis agro.
 7 Quin etiam patriis demissis turbine caeli
 8 auxiliis largo perpluit imbre polus.
 9 Qualia regna putes, numen quibus excubat armis ?
 10 Nonne Dei est, pro quo pugnat et ipse Deus ?

HYDRUNTUM

U_57 v.1 Qua brevis epirum Cerealem despicit, urgens
 2 tractus in Ionias brachia longa vias.
 3 Opportuna dolis, et cauti fraudibus hostis,
 4 hic sita sum vigili praeda petita duci.
 5 Hac igitur firma Italicae sunt claustra quietis,
 6 et libertati jura parata tuae.

MESSANA

U_58 v.1 Indomitae sedeo spectatrix tuta Charybdis,
 2 ostendoque aliis lumine grata viam.
 3 Mortales, si sic faciant, meliore fruuntur
 4 numine. Nunc homini vera Charybdis homo est.

PICTAVIUM

U_59 v.1 Si studium est animae, veniunt a corpore vires ;
 2 Galliaeque a meritis poscit utrumque sibi ;
 3 haec studiis, aliae belli exercentur amore.
 4 Pictavium est animus, caetera corpus erunt.

BERGOMUM

U_60 v.1 Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
 2 tecta, cibus, gressus, guttura, sermo, sonus :
 3 omnia crassa modis insignibus, omnia dura ;
 4 sic, valeant silices ut superare suos.
 5 Ista domi ; sed vicinus si aspergat acetum ;
 6 artibus, atque dolis vincitur ipse suis.

LYSIPONA

U_61 v.1 Ergo gravis grumus quo pallidus emicet auri,
 2 insomni tellus scissa ligone gemit.
 3 Cernis, ubi advectus peregrinis flatibus orbis ?
 4 Cernis, ubi in parvo est India tota sinu ?
 5 Pressa maris facies ; domita est violentia caeli.
 6 Quid reliqui est, nisi te carpere scepra poli ?
 7 Haud potes esse Deus ; non vis homo vivere. Sors te
 8 ex homine egressum tertia quando capit ?

SALERNUM

U_62 v.1 Quae Boreae gelidas furias contemnit ovantis,
 2 torva procellosi despicit arma Noti.
 3 Medorum et silvis fecundas provocat auras ;
 4 fundit et a biferis Indica dona jugis.
 5 Protinus Autumnus Veris cum tempore certat ;
 6 et Ver cum Autumni tempore certat item.
 7 Huc accessit hiems vernantibus uda capillis ;
 8 et peperit mirans, et sibi poma legit.
 9 Tuta mari fruitur, terrae dominatur amatae ;
 10 et caeli mutat jura : quid ergo ? Dea.

TOLOSA

U_63 v.1 Quisquis es, impura damnas qui voce Tolosam :
 2 disce verecundo plenius ore loqui.
 3 Feta malis, insensa malis : cum crimine justa
 4 exercet leges legibus orba suis.
 5 Cogitur, a propriis aliena vivere mente,
 6 aspera crudeli sub pietate parens.
 7 Magna quidem, ac Francis aequata superbia terris,
 8 ut jam jam se ipsam vix tolerare queat.
 9 Sumptus inexpletus cives spoliavit inertes.
 10 Si dives vivit, ut moriatur egens.
 11 Inde vafer mercator agris successit ademptis ;
 12 ingeniisque frequens advena fretus ope.
 13 Mox se ipsum ignorans, fortisque oblitus avitae
 14 certat cum nitida, nobilitate, domo.

15 Quid superesse bonis ? Bona quid superesse putandum est ?
 16 Ante sua hunc, hunc nec post sua fata mori.

DEERTONA

U_64 v.1 Si faciles animos, si candida pectora quaeris,
 2 quaeque decent claros nomina magna viros,
 3 magnifico Dertona tibi dabit inclyta cultu ;
 4 inclyta, sed quondam ; nunc male culra ruit.
 5 Nimirum quod semper erit, huic contigit urbi.
 6 Ut semper noceant saecula prava bonis.

COLONIA AGRIPPINA

U_65 v.1 Maxima cognati regina Colonia Rheni,
 2 hoc etiam titulo Musa superba canit.
 3 Romani statuunt ; habitat Germania ; terra est
 4 Belgica : ter felix. Nil tibi Diva deest.

VICETIA

U_66 v.1 Bacche pater, Ceres alma, bonae bona numina pacis,
 2 quae patulos agros, qui juga curva tenes,
 3 quid rerum, quid amicitiae cum Marte cruento
 4 vobiscum ? Vestrum ut vexet utrumque furor ?
 5 Pulchra racemiferos domitat Vicetia colles ;
 6 laetaque spicilegi jugera findit agri.
 7 Caedis amor, caedis germanae insana cupido :
 8 nec patrius nato est tutus ab hoste cruor.
 9 Nusquam iter est. Vastata jacent latrone protervo
 10 ruscula : corruerunt ignibus hausta suis.
 11 Parce (nefas) scelerare manus gens debita caelo ;
 12 imbueque ignoto pectora digna Deo.
 13 Divinae facies, regio caelestis, at hujus
 14 in caeli medio tartara dira vigent.

ATHENAE

U_67 v.1 Hic, ubi disjectae frustra quaeruntur Athenae,
 2 quaeruntur Graeis mens, manus, arma soli.
 3 Lignea vicisti. Victricem fata periclis
 4 marmoream faciunt. Nunc miseranda, quid es ?

CAIETA

U_68 v.1 Te quoque cedentem naturae Aeneia nutrix

2 Hesperio retinent litora curva sinu.
 3 Justa pius fecit, tumulumque sacrauit alumnus ;
 4 unde tuum in nostro nomine nomen habes.
 5 Reddere non potuit, deerat quod legibus aevi ;
 6 at data, quod potuit, vita secunda tibi est.

CARNUTES

U_69 v.1 Saecula communes habeant sibi caetera laudes,
 2 vina, feras, segetes, moenia, bella, forum ;
 3 huc sua contulerunt omnes arcana Sibyllae ;
 4 cum dicta est virgo, quae paritura foret.
 5 Credidimus prius, atque fuit. Si credere, vita est ;
 6 sic nos, quam essemus, ante fuisse palam est.

CROTON

U_70 v.1 Virtutis faciem, ac numeros metire viator,
 2 Sive oculis, seu tu mente Crotona vides.
 3 Quot cives, tot victores. Nam nomine palmas
 4 pauperis est populi dinumerare suas.

SENONES

U_71 v.1 Quae Senonum vires, et quanta potentia ferri ;
 2 trajectaeque Alpes, captaque Roma docet.
 3 Histrum, atque Illyricum superant, Martisque ministrum ;
 4 qua Boiana tuas copia sugit aquas.
 5 Subdit se Macedo ; submittit Achaica tellus ;
 6 horridaque armigero Thracia cedit equo.
 7 Atque hinc res Asiae tremefactae, et inhospita ponti
 8 litora, et Armenios quae colit ora duces.
 9 Haec summa est. Populis, castris, et regibus horum
 10 armorum arbitrio fors rata quaeque fuit.

TARENTUM

U_72 v.1 Mollia quae tenuis demittunt pondera lanae,
 2 tonsa Tarentinis jugera laeta jugis,
 3 haec eadem complent vegrandibus horrea culmis ;
 4 et tua sub prelum munera Bacche ferunt.
 5 Nulla est in Latio Pomona beatior usquam ;
 6 nulla est Hesperidum gratior aura locis.
 7 Se totum exhibuit lauta ad convivia Nereus ;
 8 servit et innumeris proxima silva feris.
 9 Hic ver perpetuum est, tantum pro frugibus aestas.
 10 Nectareas superant sidera feta dapes.
 11 Quod si caelum imis vellet mutare supernas,

12 haud aliis poterat plenius esse locis.

PRAGA

U_73 v.1 Septa metallifero circum quae monte superbis
 2 Hercyniae in medio Martia Praga sinu,
 3 linque aliis populis tantae munima sedis :
 4 qui nequeant armis jura tenere loci.
 5 Namque tuum est, non praesidio turgere locorum,
 6 sed loca praesidiis fidere posse tuis.

MUTINA

U_74 v.1 Nescit quo potius tumeat Rangonia tellus ;
 2 tot se fama nova vertit in ora vetus.
 3 Fama vetus, tot fama recens se vertit in ora,
 4 ut tituli numeros nesciat ipsa sui.
 5 Mars catus invictis admiscet viribus artem ;
 6 ardua sic gemino nomine belle docet.
 7 At Venus aetherias cum finxerit aurea formas ;
 8 verborum adjunxit pondera picta modis.
 9 Inde triplex liquidos animos inspirat Apollo ;
 10 inde triplex nitida gratia juncta manu.
 11 Nulla deest Erato : capiet te candida Pitho,
 12 ut mox oblitus tu videare tui.
 13 Nescit quo potius tumeat Rangonia tellus ;
 14 ergo nec dignum, velle tumere, putat.

MOSCOVIA

U_75 v.1 Non veteri nos more fero nunc cedimus hosti ;
 2 nec bellare monent condita busta patrum.
 3 Protinus aspectis mittuntur spicula turmis.
 4 Conseritur presso comminus hoste manus.
 5 Artibus his Scythicas tres jam devicimus Hordas.
 6 Artes has etiam Turcica signa tremunt.
 7 Huc simplex victus, fatorumque aemula virtus.
 8 Hos parere simul, hosque jubere docent.

PARMA

U_76 v.1 Inventum mediis praeclarum nomen in armis,
 2 praedita quo sit gens ignea Marte docet.
 3 Ingenium rapidum facili flammatur ab ira ;
 4 sed viget in patulo pectore purus amor
 5 magnanimo, pretium est, non displicuisse pudori.
 6 Hoc satis, officiis cedere turpe putat.

MAGDEBURG

U_77 v.1 Vos ego magnanimis invictos Saxonas armis,
 2 atque graves Martis turbine canto duces.
 3 Non Macedo tu miles eras. Sic Graecia mendax
 4 facta tua in laudes transtulit alta suas.
 5 Non veteres huc te quondam misere Britanni ;
 6 quin jam servivit terra Britanna tibi.
 7 Ipsa tua es : primumque tuis cum montibus orta ;
 8 cum caeli ipsius finibus orta tui.
 9 Dives agri, dives quaesitae vestis, et auri :
 10 gens dubium est, armis justitiane prior.
 11 Est hominis, patriis alios bene vincere telis.
 12 Justitia te ipsam vincere velle : Dei est.

LUNA

U_78 v.1 Prospiciens tumida terra Neptunus ab unda
 2 oppida perdoluit condita nulla sibi.
 3 Immisitque salum, mersitque sub aequora Lunam ;
 4 mersaque sic famulis nunc dominatur aquis.

FRANCFORDIA

U_79 v.1 Multa laboratis debet Francfordia sulcis ;
 2 multa racemiferis vinea culta jugis.
 3 Quid referam, quanta et quae convexere metalla ?
 4 Quae Mars bellipotens, quae petit alma Ceres ?
 5 Huc Italus patriis miratur partibus orbem,
 6 advectum huc stupuit Gallia magna suum.
 7 Hic oriens, hic terra novis comperta sub astris
 8 agnoscit Genii femina plena sui.
 9 Nec tamen in brutis sola haec commercia rebus ;
 10 hic animi aeterna sed cumulantur opes.
 11 Quod si res, paucas operosa est dicere merces,
 12 non magis est, cunctas res operosa dare ?

PLACENTIA

U_80 v.1 Nobilis antiquo porrecta Placentia muro
 2 hinc hostem, hinc rapidas fluminis arcet aquas.
 3 Rarae artes : gens scita, hilari sed dedita luxu.
 4 Ingenium augustae vix patiuntur opes.

NANETES

U_81 v.1 Vicit Aremoricis animosa Britannia gentes ;

2 et dedit imposito nomina prisca jugo.
 3 Nunc etiam patriae remanent commercia linguae ;
 4 ultimaque a Gallo discrepat ora sono.
 5 Impavidum genus, Argivae gens docta palestrae
 6 nec minus in bellis utilis, acer eques.
 7 Par domino quadrupes, saevis haud segnior armis ;
 8 respondent animis robora firma feris.
 9 Gens tamen haec eadem patriis intenta choreis
 10 laxat inexpleto pectora laeta mero.
 11 Tanta etiam pecoris, tanta est opulentia frugum, ut
 12 cum Cereris certet vomere magna Pales.
 13 Quid varias referam piscosa sub aequora turmas ?
 14 Abditaque ignoto litora capta mari ?
 15 Ne partire plagas, ut partis des mihi partem ;
 16 sed Galli haec dicas integra regna soli.

SYRACUSAE

U_82 v.1 Illa ego sum Romae labor, atque injuria Poeni,
 2 pro me etiam stragis Graecia sensit onus.
 3 Figere quae voluere aliis in sedibus arma ;
 4 exturbata jacent sedibus orba suis.

CRACOVIA

U_83 v.1 Martia Sarmaticis tentata Croatia nimbis
 2 arcigeri pugnax spicula fregit equi.
 3 Hinc belli fortunam armis, finemque sequuta
 4 Germana Hercyniis expulit arma jugis.
 5 Quaque patet solis fugiens Lituania campis,
 6 victrici imposuit Martia signa manu.
 7 Moscoviisque docet, Turcisque augusta trophaeis,
 8 vicinis quantum sit bene tuta quies.
 9 Tessera certa manu stat belli, et pacis ; utramvis
 10 si des, accipiam ; vel cape, namque dabo.

PERUSIA

U_84 v.1 Sanguinea audaci connata Perusia ferro,
 2 tamquam hosti temere saepe inimica suis.
 3 Partibus imperium, vitales partibus auras
 4 colligit, invisit partibus atra Deos.
 5 Vae tibi, sic odio quae te partiris amaro.
 6 Est, quae non toto est corpore tota, nihil.
 7 Quin etiam fera jura tui scripsere coloni ;
 8 quae jubeant tetras semper habere manus.
 9 Vestrarum hac igitur summa est sapientia legum.
 10 Nolle placere aliis, velle nocere sibi.

AMBIANUM

U_85 v.1 Terrori fuerat peregrinis Gallia turmis :
 2 terrori Gallis Belgia sola fuit.
 3 Germanus Belgas cum vincit ; Belgica Belga
 4 cum tueor, Belgis Belgia sola fui.

VALENTIA HISPANORUM

U_86 v.1 Una tibi ante oculos populi ponatur imago ;
 2 cetera jam ex illa natio tota patet.
 3 Aegra Ceres, regio torentis infamis ab aestu,
 4 arida Cerbeream colligit aura sitim.
 5 Nusquam tutus abito rapido latrone viator ;
 6 nam probus, et prius est tollere ludus opes.
 7 Tum tua poscenti exprobrat tibi linquere vitam.
 8 Dat libertatis praemia dura, mori.
 9 Fastus inexhaustus, luxus sub paupere vita ;
 10 et furiat mentes gloria vana feras.
 11 Quae liquere hostes, ea cuncta vorabat amicus.
 12 Nil ubi promisit, tunc tibi tuta fides.
 13 Tuta fides fortasse ; quid haec sub tartara tutum ?
 14 Ah non se tutum si velit esse Deus.
 15 Plusquam hoste, est verum regnum, hospite posse carere.
 16 Afflatus solo nomine, pauper eris.

VENUSIUM

U_87 v.1 Parva quidem, atque humilis, pene et sine nomine tellus,
 2 aut par, aut major te, tibi Roma fui.
 3 Caede furis ; peperit tranquillum ego lenis Olorem,
 4 cujus ope ad multos vita perennis eat.
 5 Cujus ope effectum est, ut quae ruitura fuisti ;
 6 vel nunc, cum nihil es, tu quoque viva voles.

ARIMINUM

U_88 v.1 Prisca sui quondam civilis meta furoris ;
 2 sed non fortunae meta futura fui.
 3 Non tunc arma togae, non cessit laurea linguae.
 4 Caesaris est facere, haud sub Cicerone loqui.

DYRRHACHIUM

U_89 v.1 Cui quondam fuerat privatum nomen Epirus,
 2 Albani ad Titulos transposuere suos.
 3 Fortis erat gens prisca ; simul sed fortior haesit.
 4 Grandius effectum est insitione genus.

5 Cum translata alias generosa armenta per herbas
 6 dispereant ; videas, pabula quanta ferant.
 7 Cum pudeat Phrygias mirari Gargara messes ;
 8 hic Cereris, dices, Thensa beata manent.
 9 Vitrea cum tepidis coquitur vindemia saxis,
 10 jurabis madidi Cnossia dona Dei.
 11 Hoc etiam illa potens tremuit sub milite Roma,
 12 ne tu his arma opibus debilitata putes.
 13 Ergo animis vacuis aliena pericula cernens ,
 14 vincere dum credit esse, carere malis,
 15 vicinus sibi spem promittit, et otia : cassos
 16 subsidiis, fervi nomine Turcus habet.
 17 Ast videas quanti faciat durissimus hostis :
 18 fortia cum nostro robore bella gerit.

CREMONA

U_90 v.1 Quis modus esset agris, et quanta licentia frugum,
 2 verba peregrina Gallica voce notant.
 3 Inde solum nati laetum dixere Cremonam,
 4 quin Latio vox est deliciosa Cremor.
 5 Usque adeo longo reddit cum fenore tellus ;
 6 praeteritique hornus commoda ridet ager.
 7 Deficit et cultrum, et vomer : non deficit uber.
 8 Lassa manus, trita sarcula, fessa Ceres.
 9 Reddant pensum aliae ; nostrae lex unica terrae est :
 10 et votum Domini, et spem superare sui.

LUBECCA

U_91 v.1 Si referam : mihi quis credet ? Sub limina Mundi
 2 ultima legiferi jura vigere Dei.
 3 Ingenium, candorem animi, cultumque, fidemque,
 4 fortiaque invicta pectora pura manu,
 5 dum pirata stupet terras Astraea relinquens,
 6 atque putat caeli regna, resedit ibi.

FAVENTIA

U_92 v.1 Pars magna Italiae duro discrimine rerum
 2 clara Faventino milite scepra capit.
 3 Quod meruit decus invictis Helvetius armis ;
 4 quod conducta ferox Brennus ad arma fuit ;
 5 hoc sumus ; hoc fortis meruit vis ignea dextrae,
 6 arbitrio cujus Numina regna parant.

NARBONA ET BAIONA

U_93 v.1 Erectae geminae dubio pro limine turres
 2 absterrent patriis hostica signa bonis.
 3 Utraque perpetuis fera Gens exercita bellis ;

4 utraque vicinis gens inimica suis.
 5 Frangit inaccesso assultus discrimina muro
 6 quique magis terrent, hos timuisse facit.
 7 Illa ferox opibus, haec paupertate superbit ;
 8 haec cives alit, haec ridet in hoste famem.
 9 Vivite felices, acres firmate secundas ;
 10 et bene cum veteri sit nova juncta fides.
 11 Pro tantis meritis gemina urbs tutissima, rebus
 12 promotis, illi tu, excubet illa tibi.

PISAURUM

U_94 v.1 Hic Romae fulsit primum spes ultima victae ;
 2 unde loco, atque urbi nomina ducta canunt.
 3 Dum Gallus Romana actis imitatur avitis
 4 arma, premens arma Romula victor adest.
 5 Postquam e sollicita posuit discrimina mente ;
 6 torpuit occulto dextra soluta metu.
 7 Ah quid agis soboles priscorum invicta Deorum ?
 8 Rerum, non auri summa petenda tibi est.

TURCICA

U_95 v.1 Ne teneras forti victas legione cohortes
 2 cum querulo doleas murmure miles iners.
 3 Impia neve pio facias convicia caelo ;
 4 pectora quod te ipso cassa fovere neget.
 5 Imbellis ne habeat, posuit quae fortibus ? An tu
 6 hoc servili animo libera regna feras ?
 7 Frigora pigra tibi stupido dominantur, et aestus
 8 gurgiteque insano foeda vorago gulae.
 9 Conciliat mollis quaesitos stragula somnos ;
 10 huic labor in dura, mollia fecit, humo.
 11 Ipse cibum et sibi fert, ipse et sibi decoquit, ipse
 12 crudum, si non sit igne domare, vorat.
 13 Tu quereris corrupta undis tibi numina Bacchi ;
 14 saepe etiam sordens huic levat unda sitim.
 15 Devovet ille suo concordia pectora regi ;
 16 te quatit insana seditione furor.
 17 Mirum, Romanis propius qui accesserit armis,
 18 Romae fata gerens, si sibi fata trahit ?

OPPIDA BENACI

U_96 v.1 Terra, decus caeli, curvas quod proruit undas,
 2 cum furit Aeoliis Norica turba gregis ;
 3 vos ego siderei mea maxima numina colles,
 4 inter praecipuos exul adoro Deos.
 5 Haud procul hinc tetigi vitalis liminis oras ;
 6 atque hausi vitae prima elementa rudis ;

7 Balde procellosos aperis ubi vertice nimbos ;
 8 Benacique graves fluctibus addis aquas.
 9 Huc me diva parens a magno missa parente
 10 transtulit ; et lucem sancta videre dedit.
 11 Ut miser exciperem soliis exclusus avitis
 12 in patrio saltem lumina prima solo.
 13 Pene quidem expositus, quales et Cyrus, et ille
 14 qui Marti posuit moenia clara, sui.
 15 Quin etiam sola illorum male prodita cernis
 16 corpora ; sed geminum, cumque parente meum,
 17 tantum fata queunt, tantum indignatio caeli ;
 18 ut pretium hoc animi sit, voluisse malum.
 19 Certe equidem hoc ego credo bonum ; tamen illa pericli
 20 semina agunt mentem sollicitantque rudem.
 21 Quid si me o genitor crudelis, perfidus hostis ?
 22 Quid geminum corpus, cumque parente meum ?
 23 Quanta fuit non victi animi expectatio rerum,
 24 tanta est spes, cum spe perdita tota simul.
 25 Nil potuit malesaga mali mens percita fati.
 26 Tu moreris : quaero munera mortis ego.
 27 Di patrii Indigetes, Dis deficientis Iulis ;
 28 et vos Scaligerae numina prisca domus,
 29 quae mihi contigerunt primae post munia vitae,
 30 ah saltem a patria vos prohibete mea.

NUREMBERGA

U_97 v.1 Diva mihi extremi da munera sacra laboris,
 2 non tamen extremo conspicienda loco.
 3 Sed velut abducto veneramur in ordine caelum,
 4 hic ubi naturae fine quievit opus.
 5 Non potes aethereis deducere sedibus astra ;
 6 invenies, tibi quae Norica terra dabit.
 7 Hunc sibi corruptas terras Astraera relinquens
 8 fatali statuit sede tenere locum.
 9 Quis putet horrifico sociatas Marte Camenas ?
 10 Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
 11 Martis habe, et Phoebi felicia tempora laute ;
 12 sanctaque sit valido foedere juncta fides.
 13 Omnibus ex istis ne tu ne dempseris unum,
 14 addere quin potius omnia magna, tuum est.

HIERUSALEM, BETHLEEM ET NAZARETH

U_98 v.1 Hic genua, hic animum, hic lacrymas, hic carmina pono :
 2 mensque mea ad patrium subvolat aucta polum.
 3 O promissa novo, populo promissa vetusto,
 4 quae libertatis jura beata dabas !
 5 Cur vidua, orba, jaces ? Sancti quae vulnera vultus ?
 6 Quis fuit, aetherias qui scidit ille genas ?
 7 Quam te terra canam ? Caelum quae facta serenum es.
 8 Nos facti e caelo sordida terra sumus.

9 Tu nec laudis eges ; nec nostro augebere cantu ;
10 at me abs te dici, gloria utrimque tua est.

1

CONSTANTIA FREGOSA EX RANGONIBVS. *Constance Frégose de' Rangoni.*

Constance Rangone, fille de Nicolas Rangone et de Blanche Bentivoglio, épousa en premières nocés le comte Thomas Calcognini de Ferrare. Restée veuve, elle épousa en secondes nocés, l'an 1499, le Comte César Frégose, de Gènes. César Frégose, dévoué au parti de François I^{er}, fut assassiné par les ordres du marquis del Vasto, alors gouverneur du Milanais, au moment où il se rendait à Venise en qualité d'ambassadeur. Constance, qui se trouvait sur le lieu de l'assassinat, rapporta en France un doigt de son mari pour exciter la colère du roi contre le gouvernement de Charles-Quint. Constance Frégose fut surtout célèbre par son esprit et sa beauté. Nous n'avons pu trouver aucun renseignement relatif à la date de sa mort.